ILLUSTRATIO USUS ET NOMINIS PLANTARUM QUÆ IN JULII CÆSARIS COMMENTARIIS INDIGITANTUR...

Domenico Nocca



Botanicus in Julii Caesaris scriptis studiose volutatus nonnulla ex insperato nanciscitur, quae artis herbariae imprudentes in laevi habent, dum ipse e contra in suam rem esse, ac scitissimae Orationis argumenta suppeditare posse animadvertit. Ad hoc ratione disserendi vallandam praesto continuo sunt quinque illius Commentariorum capita.

Et primo quidem in Belli Gallici libro quinto paragrapho quartodecimo de Britannis loquens haec habet. *Omnes* (Britanni nempe) glasto *se inficiunt*, *quod coeruleum efficit colorem atque hoc horribiliore sunt in pugna adspectu.* In trigesimo secundo quoque libri sexti eiusdem Belli Gallici capite sequentia notanda sunt verba. *Cativulcus Rex dimidiae partis Eburonum, qui una cum Ambiorige consilium inierat, aetate iam confectus quum laborem aut belli aut fugae sustinere non posset, omnibus precibus detestatus Ambiorigem, qui eius consilii auctor fuisset.* Taxo *cuius magna in Gallia, Germaniaque copia est, se exanimavit.*

Item in libro tertio de Bello Civili articulo quadragesimoseptimo ait quod castra prope Dyrracchium habens, *consumptis omnibus longe lateque frumentis summis erat in angustiis . . . . et quod radicis genus inventum fuit ab iis qui fuerant cum Valerio, quod appellatur* Cara : *quod admixtum lacte multum inopiam levabat : id ad similitudinem panis efficiebant. Eius erat magna copia: ex hoc effectos panes, quum in colloquiis Pompeiani famem nostris obiectarent, vulgo in eos iaciebant, ut spem eorum minuerent.*

Quarto in eiusdem libri capite quinquagesimo octavo dicitur quod *Pompeiani equitatus in summa erant inopia pabuli, adeo ut* foliis ex arboribus strictis, et tenerimis arundinum radicibus contusis, *equi alerentur : frumenta enim quae erant intra munitiones* (Dirracchii) *sata consumpserant et cogebantur Corcyra atque Acarnania, longo interiecto navigationis spatio, pabulum supportare: quoque erat eius rei minor copia, hordeo adaugere, atque his rationibus equitatum tolerare.*

Tandem in Belli Africani capite trigesimoquarto haec scribuntur. *Equitatus Scipionis Petrei et Labieni circum Caesaris munitiones vagari coeperunt; atque eos qui pabulandi aut aquandi gratia extra vallum progressi essent, excipere: ita omnes adversarios intra munitiones continere. Quare Caesariani gravi annona conflictati sunt : ideo quod nondum neque ab Sicilia, neque ab Sardinia commeatus supportatus erat; neque per anni tempus in mari classes sine periculo vagari poterant, neque amplius millia passuum sex terrae Africes, quoquoversus tenebant, pabulique inopia premebantur. Qua necessitate coacti veterani milites equitesque, qui multa terra marique bella confecissent, et periculis inopiaque tali saepe essent conflictati,* Alga *e littore collecta et aqua diluta, et ita iumentis esurientibus vitam eorum producebant.* Huc usque Caesar.

Jamque probe noscitur quae ex his disputanda Bo-

tanico veniunt. Qualis nempe, ex stirpibus colorem purpureum efficientibus, *Glasti* nomine, a veteribus intelligebatur. Numne planta Cativulci deleteria *Taxus Baccata* recentiorum re quidem vera est? Quorum arborum folia stricta et quarum arundinum specierum radices ad pabulandum idoneae ac collectae? Cui stirpi *Carae* nomen prisci scriptores imposuerint? Quid sibi vellent Pompeiani *Algae* herba Jumentis esurientibus suffecta? Sane periculosae plenum aleae opus tractatur dum haec herbarum nomina, quorum originem vel accommodationem antiquissima ipsa temporum obscuritas occulit, ad recentiorum cognitiones et nomenclaturam revocari volunt, nam qui id sibi sumit et Grecae minime infrequens esse debet linguae, et Pinacis Bauhiniani, qui clavis loco ad priorum scriptorum opera intellectu consequenda ab omnibus habetur, scopulos supervehere, et inconcinnas Theophrasti, Aristotilis, coeterorumque Rei Herbariae Patrum plantarum descriptiones, quae in errores vel nolentem rapiunt, componere obstringitur; nihilo tamen secius mihi propositum est ingenii vires periclitari ad veritatem harum rerum disputando limandam. De radice *Cara* a militibus Valerii ad panem efficiendum adhibita multam orationem habuere Clarissimi Viri Veinmannius in Tractatu Botanico de Cara Caesaris in Charlsruh edito anno 1769, Robertus Sibbaldius in Opusculo Edimburgi 1710 edito, Schawius in libello de Carmile quae Cara Caesaris, et Wedelius in programmate de pane dyrrachino Julii Caesaris anno 1711. Porro primi tres Auctores nervos contendunt omnes ut planta Pharmaceutica *Carum Carvi* a Linnaeo dicta, de cuius aqua et seminibus Pharmacopea Würtembergensis commemoratur, Cara veterum (1) putetur et sit. Wedelius

---

(1) Novum non est neque insolens milites obsidionis caussa,

vero vias omnes persequitur ut panem dyrracchinum ex Aro maculato, cuius in officinis praescribuntur herba, radix, fecula, pulvis, confectum fuisse evincat. Cum autem recocta Crambe, aiente Plinio libro 20 cap. 9, fastidium pariat et nauseam, experta prodere, nec messis iam in arvis anxie et laboriose spiculas carpere volo, meamque operam melius locatam iri reor, si proficiscar ad quatuor reliqua Caesaris ad rem herbariam pertinentia, quae nullusdum Botanistarum explanavit.

Et primo quidem expromendum quid sentiam de Alga pabulationis scopo equitatui impertita.

In latini sermonis vocabulis scribitur. „ Alga herba est quae nascitur in aquis marinis, dicta ab algore aquae sive quod pedes alliget, quia crassa est, foliis ex parte supernatantibus. „ Alga, ait Bauhinus in Historiae Plantarum tom. tert. pagina septemcentesima nonagesima quarta, nomen est plantis fere omnibus marinis commune... Poetae cognominant Algam marinam inutilem, mollem, flucticolorem, littoream, humidam, tortilem, tenuem, putrem et vilem. Hinc Horatius cecinit.

Et genus et virtus nisi cum re, vilior alga est.

At si Plinium consulamus facile patet hoc nomine veteres illas plantas appellasse quas nos sub fucorum familia comprehendimus; *fuci enim sunt maris incolae*, inquit Desfontainesius, *numerosissimi et elegantissimi*, *forma*, *consistentia*, *colore*, *ramificationibus*, *magnitudine longe diversi. Plurimi agris stercorandis utilissimi*; *multi pi-*

---

fame exstimulatos cibis vel intactis, vel neglectis, vel exiguum enutrientibus iratum placasse ventrem. Praenestini ab Annibale obsessi nucibus Coryli Avellanae famem tolerarunt; Theophrastus quoque Ziziphi Loti fructu (qui magnitudinem drupae pruni spinosae, observante cl. Auctore Flor Altanticae, vix aequat) Ophelli exercitum, cum in Carthaginem duceretur, diebus pluribus, defectu commeatuum pastum esse enarrat.

scibus, nonnulli pecoribus atque etiam hominibus alimentum praebent. „ Spreta igitur priorum *Algae* definitionum trutina, nam eae et universitate laborant, et habent aliquantum noctis, et multis nominibus notari merentur, in Pliniana quae *Algam* fuci speciem esse ex dictis autumat, paullisper immoramur. Fuci in mare Africano degentes singillatim recenseantur, et si quipiam in oris prope Leptim et Adrumetum, ubi Pompeiani et Caesariani castrametabantur, ad collectum et ad pabulum idoneus, is Algae Caesaris nomine esto. Ad omnia autem haec magis sane opportunus nemo quam Dominus Renatus Desfontainesius in Flora Atlantica, qui fucos illius maris plena manu descripsit. Summa eorum colligit septemdecim; decem nempe in mare Mediterraneo, tres in Numidico, quod est pars Mediterranei longe dissita ab Africano, quatuor supra scopulos et lapides. At nemo unus ex his a Viro Rei Herbariae prudentia Principe in littoribus inventus fuit sive a ventorum violentia, sive ab aquarum agitatione, sive ab adversis tempestatibus translatus. Addendum fucos hosce omnes aut tenerrima et gelatinosa aut filamentosa aut brevi nec admodum foliacea substantia efformatos, ita ut et suapte natura et exsiccatione abbreviatae molis evadentes pabulationi impares necessario adiudicandi sint. Non ergo Alga Caesaris fuci species, et ea stirps in classe toto coelo diversa indubitanter et naviter investiganda. Clarissimus Bossius in libro cui titulus „ *sull' arte porporaria antica* sequentia verba notatione hoc loci dignissima refert. „ *Dalla più esatta interpretazione e dal confronto degli antichi Scrittori risulta che dessi per Fuco intendevano ed adoperavano indistintamente le diverse specie di Alga marina.* At melius ad rem nostram Abbas Olivius naturalium maris Adriatici indagator percelebratus in Commentariolo qui inscribitur. „ *Dell' Ulva atro-purpurea spezie nuova tintoria, delle Lagune*

Venete, qui quidem ait. *La Zostera marina è dal volgo detta impropriamente Aliga.* Si itaque Fucus veterum est Alga marina, et haec Zostera marina Linnaei, iure haec, coeteris plantarum speciebus eliminatis, est stirps Caesaris in qua res vertitur, tum quia vetustissimum nomen a maioribus per omnes aetates de manu veluti in manus ad nos usque traditum usitatumque fidem promeretur, tum quia populari famae non minus quam scriptoribus in verborum genesi perscrutanda plurimum tribuendum est.

At non celeri levique calamo res explicanda sed gravius ac diligentius. Oederus in Florae Danicae fasciculo primo Zosterae marinae iconem perbellam sistens ait, *Danis et Norvegis vulgo Tang, quod quidem nomen commune ipsi cum Fucis. Crescit in fundo maris et ad littora copiose ubique ab undis reiicitur, at in sinuum recessibus tranquillioribus quasi prata submarina efformat.* Sed vacat etiam exscribere quae caeteri magni nominis scriptores de Zostera praedicant. *Cum saevit mare* (Bauhinus loco citato ait) *abundanter littoribus eiectam et dispersam rustici aestate ut Foenisecae (Foenum nam hoc marinum est) rastellis accumulant, et in campo expositam furcillis versant quoad perarescat. Toto tractu mediterraneo ad aquas Marianas Adriatici et Occidui maris universis pene littoribus nihil vilius et frequentius fluctuatur hac Alga.*

Linnaeus in Flora Svecica subdit. *Zostera habitat cum fucis in fundo maris versus littora tam in Oceano quam in Balthico. Copiose ad littora reiiciuntur folia et insolatione alba evadunt.* Cyrillus Neapolitanus in fundamentorum Botanicorum tomi secundi pagina centesima trigesimaquarta *Zostera marina*, ait, *quae Alga vitrariorum angustifolia, in Adriatico maris littore a Manfredonia Barium usque, valde frequens est.* Mecum tandem facit Cavolinius duabus in lucubrationibus de

Zo-

Zostera Oceanica et de Plucagrostido Theophrasti quibus duabus plantis Willdenowius Zosterae marinae et Kernerae Oceanicae nomen fecit.

Ex iis quae hactenus commentati sumus habetur opinionis nostrae summa de Alga Caesariana Porro momenta quae persuadere videntur hanc Zosteram (1) esse cum ratione congruunt, verique multam habent similitudinem. Si quis vero nondum acquiescit, tot virorum auctoritatem flocci facit, remque defunctorie me usque adhuc neque pro dignitate probasse argutatur; is sane in meam sententiam volenti concurret animo, experimenta pensitans stirpem eamdem pabulationi aptissimam evincientia. Dominus Joannes Grannich primae tormentorum bellicorum cohortis equestris Italicae expertissimus Veterinarius, cum quo mihi summa est gratia, mecum de compacto rem gessit, iteratisque deprehendit experimentis nedum foeni charitatis caussa, sed et hac circumstantia amota, Zosteram marinam alimento iumentorum, quin et equorum (quod magni momenti est) absque ulla incommodi suspicione suffici posse. Cum enim ipse stirpem de qua sermocinamur, tum avenae, tum foeno immixtam, tum sine unius alteriusve additamento equis suis suppeditasset, voto res cessit; palam etenim in ore atque oculis omnium ea ipsi pabulati sunt. Neque quis reggerat Zosteram nostram mare sapere, ac proinde posse quidem ab equis ea de ratione pellectis primum degustari sed deinde respui, non enim ego defui negotio omnes vias persequendi ad verum hac de re investigandum Hinc plantam aqua multoties, more Caesaris, dilutam, et eamdem illotam, pulvere

(1) Analysim Chemicam huiusce Stirpis homo virtute cognita amplissimus Ticinensis Professor Franciscus Marabellius evulgavit in tom. 18 Opusculorum scientiarum et artium cura et ductu celeberrimi Viri Caroli Amorettii Mediolani 1775 edito.

particulisque salinis foedatam, quin immo et pauxillum oclusae capsae, in qua degebat, caussa graveolentem equis exibui neque spes eam manducatam iri me falsum habuit. Adderem etiam hoc loci me ipsum bubus, capris, et ovibus gramina prope Hortum Botanicum pabulantibus Zosteram de industria obtulisse, et istius epulae extemplo cupidiores ea linquere, atque hanc vesci observasse; at cuilibet notum provocatumque est quod postrema huiusmodi animalia omni iure depascuntur (1). Ex dictis itaque elucescit Algam Caesaris Zosteram marinam recentiorum Botanicorum indubitanter fuisse, atque illam equitatui etiam minime inopia pabuli laboranti tutissime impertiri posse. Subit nunc perpendenda Taxus cuius esu, aiente Caesare, Rex Cativulcus se exanimavit.

Indubium compertumque erit, perinde ac ipse sentio, *Taxi Baccatae* Linnaei esu sibi Cativulcum mortem conscivisse si ex omni memoria aetatum ac temporum stirpem aliquam definite Taxi nomine appellatam fuisse evincatur, si Taxum Baccatam arborem nentiquam peregrinam sed suae spontis esse iis in regionibus in quibus Cativulcus vel castrametabatur vel cum Caesare belligerabat, et si hanc ipsam demum deleteriam esse demonstretur. Nec sane plurimum in hisce probandis negotium habendum est. Theophrastus Eresius in capite decimo suae *Historiae Plantarum* de Taxo loquens Taxum stirpem abieti similem dicit, Seneca in Hercule, Nicander Colophonius suo in Poemate, Lucanus in libri

---

(1) Demiror sane celebratissimos Viros Rozierum Bauhinium, Targionium, Cyrillum, Linnaeum, ipsumque Cavolinium, qui disertis verbis in peculiari lucubratione de Zostera marina sub Oceanicae nomine disputavit, admodum nihil de hac stirpe ut pabulo accommoda, orationem habuisse.

sexti versu 645, Dioscorides in pagina trecentesima quinquagesima nona libri primi, Plutarchus, Curtius, Statius, Galenus referente Joannis Bauhinii Hist. Plant. Tom. 1. pag 244 verbis singularibus Taxum memorant. Hisce addenda summa Virgilii Maronis auctoritas, qui suis in Georgicis plus semel de Taxo mentionem agit. Obfirmatum ergo jure mihi est veterum testimonia perlegenti nullam unquam aliam subiectam esse notionem huic arbori quae Taxus nuncupatur, nomenque suum per aetates perenniter nullo intercepto spatio transditum et receptum fuisse. At Julius Caesar Taxo, cuius magna in *Gallia et Germania est copia Cativulcum se exanimasse* subdit neque immerito, cum amplissimi in re Botanica viri harum regionum peregrinatores utrobique familiarem esse concurrant. Inter plura quae presto essent exempla juverit solummodo Ruellium, Lamarchium, Decandollium, qui in Gallia, Villichium, Rothium, Hoffmannium, Willdenowium qui in Germania plantam hanc, soli utriusque qualitate non retractante, hospitari prodiderunt. Mecum facit etiam Bauhinius in citati operis pag. 249 qui in ipsa Arduenna Belgii silva, loco certamini propiore, stirpes, de qua sermo est, invenisse, terramque illam hasce, nullo cogente, generare pronuntiat. Sed rem conficit omnem, omnemque dubitationis nebulam compellit nomen vernaculum (Ibenbaum vel Pennenhout) quo incolae Belgici Taxum Baccatam notant, quod quidem, ut rationi consentaneum est, non obtinuisset ni tanquam arbor urbana nec advena Taxus ab omnibus ibi haberetur. Virulentam autem esse sicut in animalibus item in hominibus pariter ex integrorum scriptorum auctoritate certum liquet. Dioscorides, cui plusculum hac in re tribuendum videtur lignum Taxi non modo, sed et umbram illius quoque lethalem in libro sexto capite primo (Theophrastum exscribens) refert. Nicandrus Taxum inter deleterias

plantas enumerat, baccas diras mortiferasque Plinius enarrat, Virgilius nocentes succoque metuendas Taxos indigitat, et ex esu fructuum diarrhaeam et ardentem febrem secutam esse Matthiolius vult; petechias nigerrimas, vomitum, deliquium, frigus, somnolentiam, oscitationem pandiculationem causatas iri Plenchius affirmare non dubitavit. Hallerus in Histor. Plantarum Helvetiae, Villarsius in Flora Delphinatus ex esu foliorum Taxi vaccas vitulosque periisse protulerunt; asinos in Hetruria emortuos comestis foliis auctor est Gaetanus Savius Pisis Botanices Professor celeberrimus. Hoppius in pag. 64 (Botanisches Taschenbuch) baccas a pueris comestas quandoque mortem iis intulisse in vulgus indicavit. Scottius (1) ait in piscinis degentes pisces ita stupefieri si folia taxea in iis demergantur, ut vel ipsa dextera apprehendi possint, et Martinus Guillelmus Schwenchius in opella de *Cicuta aquatica* Halae 1752 singillatim animalium series Taxi frondibus enectis edidit. Porro mendicos pulvere Taxi morbos simulare notum est: eo enim cutim ulcerant ut misericordia videntes labascant, pecuniasque aucupentur. Ni ergo puerilibus fabulis scripta tot virorum commaculata esse velimus nullus unus, partes omnes huiusce arboris succo internecino infectas esse inficiabitur. Caeterum quae de Taxo ab laudatis testibus exprompta fuere, vel inconstantissime dicta vel minus facto respondere nonnulli veteres et recentiores, qui Taxi baccis, indusio, frondibus gravius ac diligentius experimenta vel videre vel iterarunt, apertissime declarant, etenim praedicatum vi-

(1) Hildegardis abbatissa Bingensis (1180 Trithem. Annal. Hirsaug. 1. 416) *Physica* seu collectio medicaminum ad varios corporis adfectus a Jo. Schotti Argent. 1544 fol.

rus detegere iis omnibus minime potis fuit. Ruellius baccis altiles et cohortales gallinas saginavit. Pena in Anglia puerulos eas innoxie esitare, ibique porcos passim eas tanquam glandes comesse dicit, additque semet illas ingruente hieme gustasse neque tum ingrati esse saporis expertum. Ruellio et Penae Olaus Borrichius accedit quamquam auctoritate nequaquam par. Is in dissertatione quinta tomi sui secundi de *Experimentis Botànicis anni* 1763 Taxi umbram negat nocere. Dominus Wiborg mulomedicus percelebratus in libro (Experiences sur les qualités de l' If. 1790 Copenhagen) declaravit nil Taxo venenatius esse quando absque ullo additamento animalibus suppeditatur et comeditur, rem autem multo secus evenire si illa vel cum avena, vel hordeo, vel faeno aliove cuiuscumque speciei pabulamento immixta comedatur; tum insuper sine ulla animalium noxa posse taxi frondes tandem ab equis edi quotiescumque dosis earum sensim adaugeatur, sensimque pariter omne alia miscellanea amoveantur. Quod si ita habet res, ac inconcussae plenaeque fidei sunt quae Wiborgius asseruit, dicendum quod sicut Gesnerus primus nuperorum invenit opium, quod vulgo pro veneno habebatur, maximarum virium esse et movere sudorem, ita et Danus noster novum pabulum, adversante omnium veterum sententia, vel premente fame, vel foeni penuria urgente, primum detexisse nullusdum poterit adversari. Gilibertius etiam in *Supplemento Systematis plantarum Europae. Lugduni Gallorum* 1792 sequentia verba ad rem nostram accommodata evulgavit „ Taxus non rara in sylva Regia ad limites Borussiae. Baccae certe non sunt venenosae, quas pluribus vicibus deglutii absque noxa: sunt dulces, mucilagineae, fatui saporis, nec umbram hujus arboris nocivam credo. Excelsissimas trunco pedali habui in uno horto, centiesque dormii et sub umbra legi per plurimas horas absque noxa. „ Denique Johannes Christianus,

Doltz (ut silentio praeteream tot alia testimonia quae quidem addere ut inglorius labor ita molestissima cura) in libello cui titulus *Neve versuche uber einige Planzengifte* seu *Experimenta nova de venenis quarundam plantarum* sedulo hoc argumentum examini subiecit, profertque se bubus, vaccis, equis, aliisque animalibus aquam ipsam destillatam Taxi affatim dedisse, atque hinc effectus admodum nihil detrimentosos emanasse. Congerantur modo in unum omnia de quibus hactenus disseruimus et perpendamus. Nonne Auctores de Taxi natura loquentes lectorem in diversum trahunt et quaecumque hactenus vel de venenata, vel de inculpata ipsius indole prolata sunt perquam sane adhuc impedita et pugnantia videntur, ac modo antiquitate temporis, modo poetarum fabulis laborant, et quando ex incerta historia accepta, et quando ex fallaci fortasse coniectura attincta fuisse suspicandum? Nonne virus illi assutum obscure fluctuat, sicut et indoles incolumis quae predicatur minime per experimenta nata videtur ita ut nemo nisi revera vecors atque excors permittere se unius vel alterius opinionis fidei debeat? Quis itaque non tenet in his asperitatibus rerum nil dignius, nil utilitate et cognitione praestantius quam nostram diligentiam ac mediocritatem consumere experimenta de Taxi facultate ac ingenio ab integro instituendo ne remota et dubia, ficta vel adumbrata sed rationum momenta ex iis quae oculis perpenduntur explorentur, quibus ad veritatem vel inviti, ac reluctantes cogantur? Porro sunt haec postrema ea quibus inserviendum ego ipse statui, hoc omni ope ac opere enixus sum. Collecta bilibra foliorum Taxi baccatae ad opera topiaria Horti nostri Academici iamdudum consitae, et quidem suae vernationis tempore, quo non modo tenerrima et pallide viridia sed uberrimo suo malefico succo referta erant, cum parca avenae sativae particula commiscui, ac binis equis quos

in ieiunio 36 horarum spatio consulto continueram, ac proinde fame summopere astricti censendi erant, ad depascendum apposui. Illi sine recusatione et sine ulla mora in cibum has frondes receperunt neque sapor ingratus summae earumdem amaritiei ab esu vel tantillum eos amovit. At cum omnia amara masticata tum salivae affluxum proritent, tum naturam moveant ad omnes scaturigines aperiendas suas, quo eiusmodi sensui ingrata et inimica eluantur, in ea versabar sententia me alterutrum horum eventuum observaturum, veruntamen falsus sum, nec satietatem novum hoc pabulationis genus iis attulisse intellexi. Non diflugio quin etiam dicam quod oculi equorum nequaquam lacrymabundi, neque aures demissae, nec vomitionis invitationes, neque ii ipsi dyspnea laborantes advertebantur. Tormina tandem, pili circinati et hebetati, inequalis venarum percussus, angor et caetera virus aut aegrotationis argumenta e vestigio adstante et inspectante ipso laudato Joanne Grannicchio nequaquam apparuerunt. Unum huiusce pascui incommodum fuit, quod post paullum vesicam urinae tantisper irritatione correptam nobis videre visum fuit, id quod subsequens mingendi frequentia luculenter evincebat. Qua re nihilo segnius eventum investigare decrevi, atque ad rem pertinere arbitratus sum foliorum Taxi numerum adaugere ad hoc pacto altius explorandam facti notitiam. Triduo intermisso duplam dosim, quadrilibram scilicet, Taxi foliorum equis iisdem pro pabulo cum parcissima avena praebui repetito laudati superioris ieiunii praescripto, atque evenit ex sententia quod vix quatuor horis ab esu foliorum intercessis vesicae irritamentum, et urinae incontinentia integrascere caepit, quae quidem vitia stranguria equos laborantes reddiderunt, at haec invaletudo demonstrat aiente Grannichio, quod modica Taxi dosis tincturae cantharidum et balneis florum sambucinorum succedanea esse potest equis difficulter meientibus.

Sed ad difficultates omnes perrumpendas, et obscura adhuc declaranda eo loci res erat ut absque ulla avenae confusione folia taxea equi depascerent, et viam hanc etiam persecutus sum, libramque unam commemoratorum foliorum equo pabulatione 24 horarum spatio vacanti ac proinde esurienti donavi, neque ea detrimentosa tantillum ipsi fuerunt excepta virium deficientia, quae tamen eo deducta non erat ut se prosterneret. His tam perspicuis, tam certis, tam validis experimentis ad trutinam revocatis plura inferenda videntur. Primo quidem a veritate non abhorrere effatum illud materiei Medicae vires plantarum generatim adumbrans „ coniferae sunt resiniferae sempervirentes, et *diureticae* (Sprengel Phil. Bot. pag. 427) namque urinas trahere Taxum nostram, quae eadem sub classe militat, periculis in equis factis compertum est. Aliena pariter a vero non est altera therapeutica lex „ suspectae sunt illae plantae quas non degustant animalia „ cum enim equi, nisi fame perciti, Taxi frondes respuant earum ingenii suspicionem iniiciens indicium iure, hoc ipso, praeseferunt. At dicendum tota errare via canonem quem singulis referam verbis quotiescumque, ad ea quae vidimus de Taxo deflectatur. „ Amara stomachica, bilis defectum . . . . roborant (Scop. Fund. Bot. artic. vires plant.) oppositam enim vim exerere nos pro testimonio diximus. Quarto pericula facta animum inclinant meum ut clarissimo Wiborgio assentiar, posse nempe augescente paullatim dose, et quod maius est, hordei, furfuris, zeae maidis, avenae, faeni vel pratensium herbarum admixtione tandem fieri, ut equi foliis Taxeis etiam puberis procedente tempore impune degustent et comedant, quod bobus, capris, vitulis, vaccisque etiam, quantum coniectura (quid enim aliud in re inexperta polliceri possum) licet opinari ex aequo obtentum iri non modo arbitror seb probe teneo.

Ego

Ego sane experimentis Taxi frondibus in equis absolutis, periclitandas earum vires cum canibus statui. Non eram nescius ex D. Petri Rossi experimentis evulgatis in libro qui inscribitur. „ De nonnullis plantis quae pro venenatis habentur observationes et experimenta (Florentiae 1762)„ non eram inquam nescius canes qua in istius, qua in Hallerianis experimentis multa venena vegetabilia absque incommodo tollerasse, ut Toxicodendri succum, et Solani, et Belladonnae, et Cicutae. Itaque me aequa experiundi cupiditas invasit, et foliis plurimis Taxi articulatim caesis cum placenta ex ovis immixtis, canibus repetita vice obtuli, neque insolens hic cibus illorum stomacho alienus fuit. Idem peregi cum felibus qui proiude hac comestura minime vacarunt adversa valetudine. Fatendum tamen utrosque post esum, ne intervallo quidem facto, aquarium petiisse et potasse. In observatione etiam fuit inseguente nocte (periculum enim cum canibus feci dum advesperasceret) canes ad latrandum a memet data opera excitatos, remissius baubari qui quidem exitus atoniae enatae indicium equis analogum adiudicandus est, at hic languor brevissimus, cum sole orto recte omnes valere spectaverim.

Cum demum crebro contingat quod quaedam vegetabilia ab animalibus citra noxam comesta, virus, quo inficiuntur, exerant cum hominibus, ipsisque lucis usuram eripiant; aliunde in rem nostram potissimum cadens investigatio an Cativulcus foliis Taxi sese perdiderit nam baccae innocentes sunt, teste gravissimo viro Gilibertio, quid et quo agant modo in humani corporis fabrica insistere opus erat. Porro aliquid de hoc politius perfectiusque proferri non potest quam commemoratio periculorum quae in nosocomio nostro abs Domino Siro Borda Archigimnasii Ticinensis Professore amplissimo non ita pridem facta sunt. At quoniam haec omnibus in aperto sunt ex pagina trigesima tomi primi Diarii D.

Prof. Brugnatelli, parce transcurro. Prudens hic medicinae vir suis aegrotantibus non semel aut iterum sed multoties folia taxea pulverata ministravit, ac continuo autistenicos seu debilitantes effectus in iis gignere observavit; hac vi ita illa donata sunt, ut cor et arteriosum sistema irritabilitate qua pollent omni, facili negotio orbare valeant. Re autem ipsa ex statuta eius pulveris dose homo exanimatur, et actionis contractibilis cordis, arteriarumque intermissione eiusdem mors proficiscitur. At commoda quae ex foliis ipsis medicatis pro infirmorum cura obtineri queunt ut et praescriptionis norma in vulgus indicare velle ibidem Auctor ipse affirmatione affirmavit, fidemque quantocius illum servaturum, infularum loco habeo.

Ad dicta qui animum diligenter intenderit nullo negotio deprehendet propius fidem esse frondium Taxi esu interemptum fuisse Cativulcum. Illae porro etsi placidae pro animalibus reddi possint non tamen usque adhuc hominibus ex allatis conatibus dicendae. Nec quis sententiae nostrae contraire audeat exitiosam vel innocuam Taxum putans pro coeli inclementia vel clementia, pro vario soli ingenio, plantarum rusticatione et statione, nam frondes in prefatis experimentis omnibus usitatae a Taxo pumilione in viridario Academico culta, et quotannis caesa avulsae fuerunt quae proinde minus venenatae censendae forent foliis arboris Ardennae silvae popularis. Si igitur haec nostra hominibus mortalis lethifera, magis potiore iure Cativulci Taxus silvatica habenda. Sed de Taxo satis iam verborum est, restat de Glasto et arundinibus.

Quotiescumque auctores amplitudine nominis praeclari Glastum vel Vitrum (1) in Julii Caesaris commen-

(1) In editione Julii Caesaris Commentariorum italica versione,

tariorum libri quinti paragrafo quartodecimo commemoratum describentes in eamdem essent sententiam, atque ex habitu vel facie externa quam ipsi protulerunt, paullulum, vel nil ab Isatide Tinctoria recentiorum differre asseri posset, res nullius negotii esset atque idem locus e vestigio temporis verbo explanatus foret. At libros eorum reputanti se sistunt mutilae illius stirpis definitiones, characteres incuriose expressi incertique, ac discrimina quae fiebant antiquitus inter Glastum, Gastum, Vitrum, quae quidem omnia ita miserrime eum torquent qui nodum extricare sibi insumat, ut sese id circo non inveniat. Quamobrem cardo huiusce difficultatis, botanicarum investigationum illustrationumque, nec non curiositatis naturalis argumentum meritissime evadit. Sed ne gratis ea videar effingere fontes omnes doctrinae priscorum Botanices Patrum expendantur. Plinius non celeri levique calamo sed graviter ac diligenter sua in *Historia Mundi Naturalis* de Glasto orationem habuit. Vacat omnia quae ad rem nostram eo leguntur exscribere ne quid obscuritatis habeat collocutio, vel scripta infecta loqui incuser. In libri vigesimi capite septimo haec occurrunt. „ Glastum, Gastum, vel Guastum herba similis plantagini seu genus lactucae agreste et sponte nascens, alias Vitrum quo infectores Lanarum utuntur, dum colore vitreo seu hyalino, coeruleo subnigro tingunt, quo item Britanni se inficiebant, inscribentes etiam corporibus puerorum animalium figuras ut in bello...„ (Confer Calep. artic. glastum et Salmas. Exercit. Plinian. Tom. 2. pag. 936). Ibidem etiam subduntur sequentia. „ Tertium genus (Lactucae) in sylvis nascens

---

tabulis aeneis quam plurimis . . . curante Hermolao Albritio . . . legitur *vitrum* loco *glasti*.

Isatim vocant. Huius folia trita cum polenta vulneribus prosunt. Quarto infectores lanarum utuntur herba, quod Glastum vocant: simile erat Lapatho sylvestri foliis, nisi quod plura habet et nigriora; sanguinem sistit, Phagedenas et putrescentia ulcera, quae serpunt, sanat: item humores ante supurationem. Contra ignem sacrum radice vel foliis prodest, vel ad lienes pota. „ Tertio in libri vigesimi secundi capite primo ad eandem stirpem remigrat scribens. „ Simile plantagini Glastum in Gallia vocatur, quo Britannorum coniuges nurusque toto corpore oblitae quibusdam in sacris incedunt Aethiopum colores imitantes. „ Porro ex hisce Plinianis testimoniis inclarescit Botanicum virum negotium plurimum habiturum quotiescumque tot res dissociabiles miscere periclitaretur. Quam enim ille, per Jovem, insistet viam, ut Glastum Caesaris Isatidis nostrae Tinctoriae nomine cooptetur? Quantum sane distant aera lupinis tam facies istius stirpis a Plantaginibus, a Lapatho sylvestri; et si ad vivum minime resecetur res, atque crassiore Minerva agens Lactucae silvestris similitudinem aliquamdam habitu exscribere largitus permittatur, unde tinctura vitrea seu hyalina, quae nullo pacto ab Isatide, sed commodissime ab ea cum Reseda luteola admixta erui posset? Non gravabor ergo dicere quid sentiam, nullo nempe posse se remedio evolvere qui multum in hac percontatione esse statueret. Idcirco magni ego Plinium ob laborem pertinacem in omnibus vetustatis exemplis coradendis facio, bona tamen venia haec non multi facio. At lubeat etiam impenso labore remotius perlustrare, quae in nostri propositi intelligentiam cadunt. Hallerus in pagina vigesimasexta tomi primi suae *Bibliothecae Botanicae* mentionem faciens Graecorum librorum abs Galeno Polibio adiudicatorum, quos eius nomine Albanus Torino Basileae anno 1544 typis evulgavit haec notatione dignissima prodit. „ Pauca ha-



bet medicamina, Rhamni tamen folia aut Isatidis, aut Thitimali vulneribus mireris imponere. „ Vitruvius itidem in libri septimi capite quartodecimo. „ Vitrum (1), ait, est genus herbae quae tingit colore viridi hoc est hyalino. „ Vitri autem vocem crebro corruptam esse dum nunc hoc ultro pro ea stirpe, nunc aliud substituerent Auctores, condocefacit Dominus Turnebus in libri sexti capite decimoseptimo. Hisce omnibus exquisitum est veteres ad unum inconcinnas Glasti vel Vitri descriptiones posteris mandasse, multiplicem eius usum apud ipsos fuisse ac promiscuum quoquogentium, nisi quid me fallit, eiusmodi stirpis nomen intellectumque. Nil hinc mirandum si id temporis etiam concertari queat, num Julius Caesar Glasti vel Vitri verbo Isatidem nostram reapse intellexerit, atque ea Britannos ad sese inficiendos uterentur. Haec autem plane cordatum quemque, nec omnino pervicacem hominem movere possunt ac debent, ut mecum assentiatur nil aptius, quam ab intricata et nodosa verbi genesi ac indagine, quae futilis est, declinare, remque ipsam seu pollentiam medicam et oeconomicam stirpis recognoscendo, verum a falso (quod nostra interest) diiudicare.

Britanni, aiente Caesare, coeruleum colorem Glasto efficiebant; illum vero, exclusis caeteris Europaeis vegetabilibus, ab ea stirpe quam recentiores Botanici Isatidem tinctoriam appellitant, eductum fuisse haec una vox summorum omnium cuiusque aetatis hominum est; ergo sobrius nemo non audire respuat, Glastum, Vitrum, Guastum ab Isatide admodum nihil differre. Perconta-

---

(1) Vitruvius De Architectura libri 10 ad Imperat. Augustum. Florentiae 1522. 8.° Vitruvius equidem de architectura scripsit, arbores hactenus adtigit .... Haller Bibl. Bot. tom. 1. p. 67.

bor a terra ad coelum in veterum et nuperorum scriptis, praecipua et singularia, quae meum consilium suffulcire valent. „ Sprengelius in Histor. Rei Herbar. lib. 3. cap. 4. artic. *Arabum res herbaria* Avicennam 214 et Serapionem in c. 47 de Isatide locutum fuisse censet. „ Propter inopiam coloris Indici, ait Vitruvius loco citato, cretas Selinusiae aut annulariam Vitro quod Graeci appellant Isatim, inficiunt imitationem coloris Indici. „ Nicolaus Leonicenus Vicentinus in *Opusc.* Venet. 1530 de ea aliqua habet. Henricus Crolach anno 1555 Tiguri evulgavit libellum, qui cultum Isatidis Thuringiacae describit, el pilarum fabricationem et ad tingendos pannos usum. Hic laudes celeberrimi Schreberi promeruit, et Halae 1752 recusus fuit ipsius cura. Volafridus Strabus Suevus in poemate *Hortulus* inscriptus et Friburgi 1530 evulgatus verba facit de stirpe nostra, cui addendus Claudius Salmasius in *Exercit. ad homonomium hylae*... *Ultraiecti* 1689. Georgius Wolfgangus Wedel in libello de *Sale volatili plantarum* Jenae 1682 docet absque igne fermentationem obtineri in Isatide. Idem quoque Isatidem memorat in opella de *Herbis Germanis.* Ovidii ibid. 1688. Robertus Boyle in *Tentaminibus physicis* agit de incerto eventu in praeparatione pilarum Isatidis. Johannes Colers in libro inscripto *Economia* anno 1602 Villebergi in lucem emisso, Isatidis culturam laudat. Astruc (Histoire naturelle de Languedoc Paris 1737) spontaneam ad tinctorios usus inutilem esse, sativam vero in Gallia eo fine coli, quod colorem non quidem pulchrum sed constantissimum largiatur omnibusque coloribus obscuris sit pro fundamento. Tum ea succus similis vero Indico parari posse, nimis tamen pauca eius copia obtineri, neque sumptum reddere .... Olivier de Serres in libro sexto (Theatre d'agriculture) de Croco et Isatide loquitur. Taceo Tragum, Fuchsium, Dodoneum, Laurence, Bradleium, Bruchnerum, Christianum Rei-

chardum et Georgium Ernestum Stahlium *in adnotat; ad artem tinctoriam*, ut quod priore loco proposui habeat fidem. Numquid dubia consectando fallor, et non nota omnibus ac conspicua profero? Sed etiam demonstratione non eget Isatidem tinctoriam scopo medico priscis temporibus innotuisse, cum plerimi ex primis Medicinae cultoribus eius facultates designent. Dioscorides in capite 215 et 216, Hippocrates in Aphorismorum libro sexto eius folia in epithematibus laudarunt. Raius in Historia plant. pag. 819 egregii usus eam esse disertis verbis pronuntiat in scorbuto et angina; quorum testimoniorum plenissimo ponderi si apponatur stirpem nostram in arvis et ad margines agrorum Britanniae, ubi pro colore caeruleo usurpabatur, familiarem fuisse, repertamque iri etiam in praesentiarum, ut clarissimus Smithius homo virtute cognita et spectata amplissimus in Flora Britanniae asseveravit, nemo quisquam in re confessa morabitur, atque Glastum vel Vitrum Caesaris eamdem esse stirpem ac Isatidem nostram assentietur. At satis de Vitro, postremam ordiamur disputationem.

Quoad arundines quas primum facio disputationis cornu, in antecessum praemitto, quod hominibus rerum oeconomicarum infrequentibus vix aut omnino fieri posse videbitur, harum saepenumero non magni incrementi stirpium radiculas ad farcinarios, vectarios, plaustrariosque equos (qui omnes coetera ad vigentis belli usum necessarii sunt) pabulatum accommodum sufficientemque subministrare posse. At in eamdem minime loquetur sententiam plera pars eorum, qui herbariae oeconomiae scientia praecipui sunt. Ii enim apprime tenent gramina radicibus exturbata et in foeni locum suffecta tanti ingenii esse ut magis opportuna ad pabulum nulla poene alia plantarum earumdem pars, atque ad hoc confirmandum quisquam auctoritate plus Linnaeo valere

non potest. Porro hic in Amoenitatibus Academicis (1) verbis conceptissimis decernit plantas calamarias numero individuorum cum caeteris plantis certare ita ut dimidium ipsis locum regni vegetabilis, exceptis Cryptogamis, assignandum sit, ac parvulam quamdam aream plura videri continere gramina, quam arbores sylva habet milliaris quadrati. Huc adde, quod cum ea magno inserviant fini, ut alimentum hominibus, pecudibus, iumentisque praebeant praecipuum, admirando etiam et peculiari prorsus modo haec sese Creator multiplicare iussit. Propterea eam habent indolem, ut quo magis tonduntur et calcantur, eo magis sese radice multiplicent, quae in plerisque, saltem in perennantibus, intra superficiem serpit, et novis pullulat stolonibus. Claret itaque arundinum caudicem descendentem maximi esse quire emolumenti ad equitatum fame laborantem tolerandum. At fortasse sunt aliquamınulti qui hanc pabulationis speciem in levi habent, et regerunt singulas hasce plantas suam stationem, suaque in diversis locis hospitia habere, neque enim ut vulgus indicat, eadem ubique gramina proveniunt, sed suo unumquodque loco luxuriat. Qui convenit igitur, concludunt, quod arundines iuxta ripam Dirracchinam degentes, etsi hordeo interiectae et adauctae, eo affluentiae essent, ut equitatui Pompeiani exercitus cibum ministrarent? Videtur hinc Caesarem hoc loci gerras scripsisse, iisque fidem iure derogandam esse. Verum hae difficultates e vestigio temporis perrumpuntur negotium omne botanica disciplina pensando. Ex gramineis stirpibus quas terra parit, quas silvae, alpes, porrecta loca, arua, lacus, recessus, et sinus domibus negati continent eae tantummodo in me-

(1) Fundamenta Agrostographiae Dissert.

medium proferantur, quae cuiuscumque maris littoreae sunt, vel ultro quoquogentium oriuntur. Perpendatur an bifaria haec plantarum culmiferarum classis magno usui esse poterat equis Pompeianis ad summam inopiam pabuli adductis. Sane periti stirpium cultores de compacto asserunt pleros Scirpos, Carices, Schenos, Phalarides, Avenas, Festucas, Bromos, Alopecuros, Arundines perennare, radicibus gaudere multiplicibus, diffusis, in longitudinem procurrentibus; plerimorum etiam praedicatione evincitur eas ad pascua perappositas esse. Rem agam exemplis. Arundo maxime longaeva, ait Linneus in *Flora oeconomica*, foeni succedaneum est; Hallerus tradidit arundinem Phragmitem pessimam in agris humentibus, vix radicandam, coeterum dulcem plantam, succo saccharino repletam. Sane Elianus (var. lect. 3) Indos primaevos radicibus arundinum vixisse, et Strabo magnarum arundinum radices natura et decoctione dulces esse referre non dubitarunt. Johannes etiam Bodingius (in Schwensck Wetemsck Handlinger 1752) commendat Scirpi in lacubus plantationem pro alendis armentis, tum pro pabulo boum metiri auctor est ibidem Linneus. Samuel Urlspringer (in Ausfürlichen nachrichten von der Colonie Salisburgischer emigrantem in America. Halae 1736 in tomo 2. 14 continuation 1749) avenam paludum edulem esse affirmat, et Dominus Wolther Rothofius (in trimestri 4 tom. 19. 1759) ostendit quot aliis plantis quae nobis parum edules videntur, foenum augeri possit. Johannes Gledischius (in Memoir. de Berlin 1768 tom. 24) de *Caricum utilitate* sermocinatur, et revera magni aestumandae haec neglectae et invisae stirpes si praestantissimum, ut ait Linneus loc. cit., in pascuis paludosis gramen hoc cespites constituit, quae foenum maxime augent. Idem dicito de Lygeo Sparto quod quidem Varro (1. 23) inter pabularia recenset. Itaque plantae hae omnes cuius natale solum in

campis prope abs Dyrracchio sitis, magno erant subsidio in commeatus Pompeiani charitate. Neque officiunt nodi earum radicum lignei ac proinde esui impares, nam contusas suppeditatas fuisse vidimus, et aliunde clam non est folia scabra neque edulia Ficus Caricae, nonnullis in regionibus, cum Mori albae, Holci frondibus, nec non cum palea secalina intermixta, cupidissime a bobus, vaccis et ipsis vitulis pabulari. Si vero sermo a stirpibus in maris aruis limitaneis enascentibus ad eas, quae ubicumque locorum laete vigent, transferatur, quae stirps Tritico repente (italice gramigna) vilior ac vulgatior? An eam qua in Dyrracchina ora qua in eius viciniis spontaneam reperiri denegari potest? Nullum hoc copiosius et agricolis tam molestum unquam reperitur gramen, quod quantum reliqua seges decrescit, tantum se multiplicat et accrescit, attamen eius utilitatem iam inde a Theophrasto novimus. Is impagina 81 libri 2. cap. 1. ait esse herbam vulgarem inter culta, radicem prodere quae culmos denuo edat, stolones cum radicibus nutrimentum praebere. Hinc Aegiptios hac radice nutritos, ac deinde manibus eam gestantes, Deos semper precatos fuisse narrat Diodorus (1. 143) (1); sed et hoc gramen, quo nullum aliud avidius se promittit, etiam foeni causa, quod bis per annum secari potest, et memorato radicularum usu optimum etiam atque etiam suadet et monstrat Bengt Bergius (Tal om Schwenska Angskoscha pag. 65), Blom (in Vet. Acad. Handlung 1782 pag. 244), et inter recentiores Rozier qui herbas pabulationi idoneas omnino ad ducentas annumerans, triticum nostrum inter eas commendat. Sed invitos ac recusantes cogere non est nostri; lubet tan-

(1) Sprengel Hist. Rei Herb. tom. 1.

tum proferre, quae ad persuadendum valent posse arundinum contusarum pabulatione equitatus tolerari, cui scopo quae dixi satis superque sunt. Postremo de foliis ex arboribus strictis loquendum, atque de iis non ita longa disputatione opus esse videtur; enim vero quicumque rem agrariam primoribus etiam labris gustavit probe cognoscit folia carpini, alni, populi, aliarumque plerarum arborum pabulum mollissimum loco foeni impertiri, hodieque absque pascuorum indigentia ubivis nostros agricolas consuescere frondes ipsas ad iumentorum esum refigere. Recte igitur et vere ad hoc consilium descendit Pompeius in difficultate commeatus, etenim catus Imperator adversae fortunae belli, vel obsidionis caussa omnibus rebus imparatissimus non deserit sese, consilium pro tempore et re capit, quantum diligentia provideri potest, providet, nil inausum linquit, omnibus rebus inservit donec victoriae vel auxilii residet spes. At nonne pulli arborum, frondes ac cortices ipsi, in regionibus praesertim septentrionalibus, ad cuiuscumque speciei animalium pascua inserviunt? Hoc perhibent clarissimorum virorum scripta quorum quidem nonnulla tantum attingam ne in nimium sermonem decurram singula exponendo. Carolus Gustavus Boye (dem Forfara Schwenska husbollaren. Stocholm 1756) erudivit se folia saligna, ut subsidium foeni parcitati auspicato quadraginta annorum spatio ad pabulationem obtulisse. Johannes Daniel Denso (in monatliche Beytrage zur naturkunde. Berlin 1752) edit nomenclaturam arborum quorum frondes ad armenta pabulanda adhibuit. Petrus Kalmius (Histor. och econom. beshor fing of fwer Cronoby sohn und Tavelsand. Abo 1756. 4) pratorum defectum dolet, et praematurum foenisecium, tum hibernos saltus neque huic malo auxilium melius portari asserit, quam equos cortice aceris et populi, et concisis foliis abietis pabulando. Tota igitur errant via qui foliis stri-

etis atque arundinum contusarum radicibus equitatum abs Pompeio pabulari non potuisse argutantur. Momenta omnia ex graminum numero et natura, tum ex auctoritate deducta ac prolata tutum reddunt verum fassum esse Caesarem talia enarrans. Jam vero peregrinantis hominis instar qui ex dissimili via per alios atque alios anfractus et itineris difficultates ad patriam contendit clausula disputationi imponatur summatim cohibendo quid mei consilii sit de quatuor Caesarianis capitibus, quae explananda proposui. Algam Caesaris verbi virtute animadversa Zosteram marinam Linnei fuisse profecto habeo; foliorum Taxi baccatae esu semet Cativulcum enecatum fuisse, ac folia ipsa deletaria quidem hominibus, ab equis autem assuetudine et procedente tempore esculenta posse fieri pericula instituta in argumentum ducunt; glasto Isatidem Tinctoriam nostram ad unum, veteres et nuperiores intellexisse indubitato dicendum; tandem excavatis radicibus plantarum arundinearum, quas terra Dirracchio citima gignit cum frugi frondium hordeique admixtione copiarum equos pabulationis inopia pressos concinne in commeatus locum sufficì posse ratum obfirmatumque est, ac proinde Caesari haec scribenti non modo propter viri diligentiam et intemeratum iudicium at potissimum propter rei exploratam veritatem credendum.
